

Jacob Fabricius Sigismundus Stube


Theses Hasce Medicas, De Angina

Rostochi[i]: Pedanus, [1626]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742560112>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶





10.
AUXILIANTE
D. T. O. M.
THESES HASCE MEDICAS,
DE

ANGINA.

*Decreto & autoritate Ampliſſ. Collegij
Medici, in inclutâ Rostochienſium,
Academiâ*

PRÆSIDE

Clarifſimo, Excellentifſimo, Spectatiſſimo Viro,

D. JACOBO FABRICIO,

Professore & Archiatro Megapolitano, Facultatis Me-
dicæ p. t. DECANO, Præceptore & Patrono meo
æternùm observando,

Pro privilegij & insignibus Artis Medicæ
Doctoris impetrandis,
examine publico,

IN AUDITORIO MAIORI,

a. d. XIV. Febr. Anno cIdo lxxvi.

*Horis matutinis & pomeridianis,
exhibeo*

SIGISMUNDUS STUBE,

Wolaviensis Silesius.

ROSTOCHI

Excus. à Joachimo Pedano, Academ. Typographo.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis



Thesis I.

Inter Morbos, quos quasi p^ol^ogas. Sic dictos vo-
lunt quidam, fatalis met^e nos admonentes,
& ad eam admoventes, non postremus est
ANGINA, malum, si quod aliud, acutissi-
mum, periculosissimum.

II.

Deducitur vel ab Angore, symptomate perpetuo; vel
ab antiquâ voce Anquina, quæ laqueum significat: strangu-
lantur enim Anginosi, non secus, ac à laqueo circumjecto &
constringente: quorsum & Festus respexisse videtur, anginam
vinariam habere scribens, qui vino suffocantur.

III.

Tralliano Laqueus ex inflammatione ortus; Græcis va-
rio & multiplici nomine malum hoc pessimum & pestiferum
appellatur: 1. σνάχη, vel à σνέχειν, quod spiritum continen-
do respirationem prædiat: vel à σνάχων, quod originem
habet δωρ τῆς ἀχόνης, h. e. strangulatione ex suspensio: ut
ut sit: Suffocationi, inquit Massaria, proportionè respondet,
inquâ veluti communi notione homines videntur convenire.
2. κováχη. 3. λυγύχη. 4. ύάχη, quod vel 1. Canibus, Lu-
pis, suisque, frequens sit: vel 2. Canum aut animalium furio-
sorum instar hient, & sæpè linguam exserant: vel 3. his ani-
malibus similes voces, sive ululatus edant hoc morbo correpti,
dum strangulari incipiunt: Germanis die Breüne/ Hals-
quant/ Halsgeschwer. Barbari Græcam vocem corrumpentes
Sinanthiam vel Squinanthiam ineptè nominant.

IV.

*Angina vocabulum Homonymum, accipitur interdum
Communiter, interdum proprie.*

V.

COMMUNITER pro omni affectu vim strangulandi habente, nullo existente in pectore aut pulmonibus vitio: & definitur angustia faucium, orta à Causa vel externa, vel interna: estq;

hic affectus vel simulatus, vel verus.

Simulatus erat Demosthenis, cujus causa Argentum, quò à Legatis Milesiorum corruptus, dicere contra eos, quod pridie fecerat, postridie recusavit, Anginam se pati causatus: quam tamen non συνάγχην, sed ἀργυροάγχην, malum Politicis nonnullis familiare, fuisse, ipsi acutè satis & falsè objectū fuit.

Veri vel revera strangulantis affectus Externæ Causæ sunt, vel Necessariæ, vel non-necessariæ, eaq; perplurimæ, quæ tamen, præeunte Galeno, ad certa possunt reduci capita. 1. ad Adbibenda; Laqueus, quem qui volet admittere cuiusvis liberum cum Taurello relinquimus: nobis nil rei est cum hujusmodi causis. 2. ad Assumenda, Aer, quem perpetuò vitæ gratiâ inspirando haurimus, crassus, venenatus, interdum frigidus & humidus subito ingruens, & destillationes à Capite producens, Hipp. 3. aphoris. 16. Fumus Carbonum, vapores vini, Cerevisiæ fermentescentis. Cibi & potus vaporosi, & adjectis aromatibus conditi. Vinum, jam olim malè audiens apud Athenæum, πείσαν δεινὰν μὴ ἐπιπίσθαι dictum, multos strangulando pessumdedit, adeò ut præfocationi, quam excitat, proprium nomen Οὐράγχην conciliârit. Hujus historiam vide apud Erasmum in Adagijs, ubi eandem Germanis minus frequentem concepto exoptat voto. Cerasa magnâ copiâ ingesta. Pyra. Poma quedam strangulantia.

Fun-

3

Fungi venenati. Vitriolum. Helleborus albus. Aconitum. Solanum illud, quod Italis Belladonna, & Trifolij species, quæ Andacocha Arabibus dicitur. Sic Acinus uvæ Anacreonti; Pilus in lacte alij; alijs alia fauces præcluserunt. Et patiuntur non raro hoc malum, qui cum clamore irascuntur: qui è calido prodeuntes frigido sese repente exponunt: qui capite ad terram pronoincedentes, sanguinem & humores ad superiora compellunt; ut bistriones.

Interne Causæ sunt vel 1. defluxio humoris, humeflans gutturis tunicam, sive intemperies humida cum materiâ, in Laryngis tunicâ, sive bilis illa fuerit, sive sanguis, vel pituita, aut Melancholia, quamvis citra sanguinis commercium raro vel nunquam contingat. vel 2. tumor in colli partibus ex quavis defluxione, sine vel cum rubore, dolore, febre, vel 3. dislocatio vertebrarum Cervicis &c. vide Galen. Comment. in 4. aphoris. 34.

Ex his enarratis causis oriuntur strangulantes affectus, qui promiscue & communiter Anginæ vocantur, sive ea fuerint legitima, sive illegitima: hoc est, sive omnia legitima habuerint symptomata, sive ex legitimis aliqua. Notâ ratione causæ duplex est: altera à tumore frigido: altera à luxatâ vertebrâ, cujus luculenta apud Hipp. descriptio l. 2. Epidem. sect. 2. & apud Galenum l. 4. de loc. aff. c. 5. Comm. in l. 4. Aph. 35. Legitima verò à tumore calido.

VI.

PROPRIE sumitur vox Angina pro ultimâ, exquisitâ & legitimâ ejus specie, quam in præsentia nobis tractare est animus, ita tamen, ut & Notbarum cognitio simul innotescat.

VII.

Angina, uti omnis p. n. affectus, duobus modis potest considerari.

*siderari, i. ut Symptomata, 2. ut Morbus. Nos curationis gratia
illam, ut Morbum respicientes, brevissimè tractabimus.*

VIII.

*Estq; angustia gutturis, vel faucium, ab inflamma-
tione musculorum propriorum, aut vicinarum partium,
unde modò respirationis, modò deglutitionis suboritur
major, minorve difficultas, cum continuâ febre & fatis
manifesto dolore.*

IX.

*GENUS Definitionis est Angustia, organicus morbus:
idq; in viâ sive meatu. Gal. Com. 4. aphor. 34. Differentia su-
mitur à subjecto, cui inhaeret, gutture aut faucibus. Causa
inherens est Inflammatio.*

X.

*Per Inflammationem intelligo, non Φλόγῳν sive effe-
vescentiam; sed tumorem p. n. cum renitentia & dolore
plurimo, calidum, ab humoris calidi, sanguinei vel biliosi,
permixti potius, quàm sinceri, defluxione (nitrosam uno ver-
bo Hippocrates indigitat) genitum.*

XI.

*Ceterùm cum duo ad Inflammationis generationem re-
quirantur, Humores, & Humorum vel Congestio, vel Fluxio:
utriusq; causas videbimus.*

XII.

*Humores & quidem calidos producendo concurrunt Cau-
sæ. 1. Efficientes: Temperamentum totius Corporis, &
principalium viscerum calidum, Aetas juvenilis. Sexus
item, quo modo viri frequentius & facilius feminis hoc malo
corripiuntur. Accedit vitæ conditio, quâ, qui gutturis
partes validius exercent, crebrius redduntur angina obnoxij,
ut Præcones, Cantores, Venatores. 2. Materiam suppe-
ditant*

ditantes, iterat a cibi & potus calidioris ingluvies. 3. Ean-
dem detinentes: consuetudo olim Evacuatio, Exercitia, bal-
nea intermissa.

XIII.

*Fit Angina, licet maximâ ex parte fluxionibus; nonnunquam
tamen superfluitatum multitudine ad fauces collectâ, Gal. 3.
aph. 16. quando aut alimentum non rite concoquitur, neq; in
partium substantiam convertitur, quod interdum ipsius ali-
menti, interdum debilis facultatis vitio accidit: aut Excre-
menta in concoctione redundantia, ob debilitatem Excreti-
cis, ob meatuum, per quos evacuari solet, obstructionem & c. non
excernuntur; quo modo nata, ut plurimum notha esse solet.*

XIV.

*Fluxionem promovent. 1. Partis recipientis vel ἐλξίς at-
tractio, præcipue ob calorem, minus proprie ob dolorem: vel
facilis susceptio, ob naturam vel adscititiam debilitatem.
2. Partis mandantis vis, transmissio, vi facultatis expultri-
tis, irritata nimia Materia copia, aut qualitate noxia. 3. Ma-
teriae tenuitas, orgasmus. 4. Viarum & meatuum laxitas,
proclivitas, rectitudo. Fluxioni occasionem præbent: Aer
calidus, humores colligando fundens; frigidus, constrin-
gendo quasi exprimens, potus frigidus. Cibus actu calidus
valde: unde qui non possunt expectare, donec parum refri-
geretur, facile in hoc malum incurrunt. Percussio. Compres-
sio Colli dolorifica. Os sive spina piscium in faucibus impacta.*

XV.

*SUBIECTUM est Larynx, aut Pharynx. Larynx
est fistula Pulmonum, seu aspera arteria caput. Pharynx
Hippocrati κλβείον, Galeno, propter loci angustiam, Isthmus
vocatur, Latinis Fauces, Frumen (ac si hoc in loco maximâ
fruamur cibi & potus delectatione) estq; posterior oris pars,
que*

κλβείον.

quæ non nisi aperto ore, & depressa conspicitur lingua, in qua
gemina ista Gula & Gutturis visuntur ostiola. Afficitur tum
Larynx tum Pharynx secundum Cavitatem, ita ut modo hu-
jus, modo illius meatus aut via, ab inflammatione magis coar-
ctetur.

XVI.

DIFFERENTIÆ plurimæ. Ratione subjecti, Ex-
quisita Angina apud Hipp. in Prognostic. sunt triplices:

1. Δεινότητι gravissimæ, quæ neq; in Cervice, neq; in
faucibus quicquam conspicuum faciunt, plurimum verò dolo-
rem & Ortopnœam inducunt.

2. Ὀλεθέρῳ perniciosæ, quæ in reliquis dolorem prio-
ribus similem quidem exhibent, verum tumorem & ruborem
magnum in faucibus excitant, adeoq; respirationis viam mi-
nus ocludunt, faciliusq; à naturali calore superantur.

3. Χειρότεροι diuturniores, in quibus non solum fau-
ces, sed cervicem quoq; & sæpè pectus rubor occupat.

Quas ab Hippocrate constitutas differentias Angina, &
evidentissimè & accuratissimè descriptas esse, testatur Gal.
Com. 2. in lib. prorrh. text. 55. ut frustra recentiores excogitâr-
int illius quatuor species, proprijs, ipso panè sono tremen-
dis nominibus insignitas, quasi quatuor illis valdè superstitio-
sè inventis nominibus, quatuor affectus & significari & respon-
dere oporteat. Vide ejusd. Com. 3. in prognost. Hipp. c. 5. & l. 4.
de L. Aff. c. 3. l. 4. in lib. de V. R. in acutis com. 30.

XVII.

Ratione modi generationis, alia est primaria, alia se-
cundaria. Hæc succedit Morbis magnis, e. g. Febri ardentis
Ungarica, pestilenti, &c. Pleuritidi, & alijs: illa sine ullis
precedentibus generatur, & hominem corripit sanum, & in-
terdum sensim paullatimq; bujus materia in parte inflammata
congeritur, interdum repente istuc transmittitur & fluit.

18. Ra-

XVIII.

Ratione Temporis, alia Vernalis, alia Hyemalis, alia Aestiva, alia Autumnalis. Posteriores plerumq; exquisita, minus exquisita priores. Sic & ab humoris morbum facientis diversitate sumitur differentia, quatenus nimirum vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus est sanguis, p hlegmonem inducens.

XIX.

Epidemia olim Roma fuit, quâ cum tota vexaretur Civitas, Angerona sive Angitia Dea Sacra, Angeronalia dicta, constituta, & ad diem 12. Calend. Januar. celebrata sunt. Julius Modestus apud Macrob. Saturnal. 1. cap. 20. Ejusmodi Anginâ Anno 1517. infinitus hominum numerus, paucis (16. vel 20.) ab invasionis momento horis, strangulati sunt, referente Foresto, lib. 15. Observ. 15. & 6. obs. 2.

XX.

Plures & alia passim Morbi hujus differentia leguntur apud Authores, tantâ varietate, tantâ distinctionum copiâ, & frequenti vocabulorum distinctivorum homonymiâ, ut vix commodè recenseri, nedum discriminari possint; cujus, tam in assignandis speciebus, quàm in demonstrandâ sede affectâ, alicuius plerosq; scriptores de Anginâ scribentes accusat Iacchinus.

XXI.

SIGNA Angina Diagnostica communia sunt, spirandi & deglutiendi difficultas, dolor, Febris, & ratione hujus, ariditas lingua, sibilus, faciei calor, color rubeus, pulsus & urine febriles; quae magis & minus morbosa, pro affectus magnitudine, partisq; affecta censentur dignitate.

XXII.

Signa loci affecti, & specierum:

B

Tōy

1. τῶν δευτέρων: Orthopnæa, quæ quomodo non nisi pectore & cervicerectis peragatur, vide Disputationem de Asthmate. Vox laesa. Deglutitio agrè & cum conatu dolorifico fit. Dolor incensus, cum strangulationis sensu insigni. Febris acuta, & quæ huic sunt accidentia propria, nullo apparente vel tumore, vel rubore in faucibus, neq; extrinsecus in cervice.

2. τῶν ὑπερθεσίων: Deglutitio planè fieri nequit, & potus per nares refluit. Tumor & rubor circa fauces. Respirationis difficultas, quàm in superioribus, paulo minor. Dolor & febris aequè molesta.

3. τῶν ἑξωτερικῶν: Tumor & rubor in externis manifestus. Cætera symptomata respectu priorum mitiora. Complicatarum specierum complicata erunt indicia.

XXIII.

Signa causæ inflammationis è propriâ cuiusvis humoris redundantis indole deprehenduntur: Sic si malum a bilioso sanguine nascatur, dolor erit intensior, caloris sensus maximus, & ingens, exurensq; febris. Si à sanguine puro, eadem aderunt, sed remissiora: si à pituitoso, fauces potius occupabit, inq; ijs ruborem albicantem representabit: Si à Melancholico, ad fuscèdinem quandam rubor inclinabit. Mixtorum humorum dominantium mixta erunt signa.

XXIV.

Signa quæ Anginas invicem, & ab alijs morbis distinguunt hic non omittenda.

Dividit. 1. inter Veras Tumor.

2. inter Veras & Notas: Febris, dolor, rubor. Febris in Notis aut nullius, aut exigui momenti, Dolor in-
buro.

humorali gravans potius, quam lancinans; in altera, que est à luxata vertebra, non nisi ad contactum dolor, adest Cavitas in Cervice manifesta: sed hanc à Veris & humorali notbâ facile discriminabunt cause precedentes.

3. Differt Angina à Pleuritide & Peripneumoniâ, Gal. 4. d. loc. aff. c. 3. differt, inquit, Angina concursus à Peripneumonia & lateralis morbi concursu, difficultate respirandi, nullo existente vel in Thorace, vel in Pulmone vitio, angustia sensu in summo gutture.

4. ab Inflammatione asperæ Arteriæ, Gal. 4. Aphoris. 34. sic habet. aspera Arteria inflammatio difficultatem spirandi quidem aliquam efficere potest, strangulationem verò non potest, propter magnitudinem meatus in ipsâ latioris, & tunica tenuitatem. Impossibile siquidem est, corporis adeò tenuis inflammationem spatium effatu dignum replere.

5. à præfocatione i. sicut species à Genere: nam omnis Angina est præfocatio: sed non omnis præfocatio est Angina. 2. hac cam Apostemate & febre invadit: præfocatio sine apostemate & febre interficit.

XXV.

PROGNOSTICORUM magna est apud Hippocratem copia, è quibus pauca delibasse sufficit.

I. Omnis Angina perniciofa.:

non verò lethalis: quia Hipp. l. 1. de Morbis eam inter dubios refert. Nec obstat, eandem ab eodem l. 2. de Morbis vocari lethalem: non enim simpliciter lethalis, licet maximam partem: quippe aliqui, ut Idem ibidem subjungit, evadunt. Galenus etiam. Com. 4. aphoris. 34. confirmat Anginam non esse omnino lethalem.

2. Prima species omnium perniciosissima, quia inflammatio in internis Laryngis musculis occulta latens, transitum spiritus, ob partium auctam, & meatuum imminutam magnitudinem, vehementer impedit: quoti-
pedimentum omnium maximum, ad mortem celere[m] inferendam homini, tam diu superskiti, quam diu spirat: hinc fit, ut huic malo obnoxij (nisi mature ijs succurratur) vel eodem ipso, quo invasit primitus, vel secundo, vel tertio, vel quarto, aut ad summum quinto suffocentur die.

3. Secunda exitialis, verum quia tumor & rubor apparent, diuturniorq[ue] priore existit, neq[ue] respirandi difficultas usq[ue] adeo molesta, diuturnitate nonnunquam evenit, ut crassior, qua in faucibus consistit, neq[ue] Laryngis musculos subire potuit, materia probe concoquatur, atque discutatur: & moriturus, prater multorum expectationem, evadat, suamq[ue] valetudinem recuperet.

4. Tertia ut Verarum longior, ita tutior & securior: quia pleriq[ue] evadunt ex ea, nisi tumor vel Erysipelas intrò revertatur. Sicuti enim quò propius malum hoc ad viam accedit respirationis, eò plus portendit periculi; ita vice versa, quò longius abest, eò minus. Siquidem perpetuò melius est fieri transmutationem à partibus internis, supernis, nobilioribus, ad externas, infernas, ignobiliores, quam contra.

5. Nothæ pueris familiarissimæ Gal. 4. de loc. aff. 3. cap. nec adeo perniciosæ

6. Quæ est à luxatâ & à suâ sede penitus dimotâ vertebrâ, Verarum Primæ in pernicie nihil cedit, & à Pauloh. 3. c. 27. pro desperatâ habetur.

7. An

M
7. Angina, quæ autumno fit, à biliosis fit humoribus Hipp. lib. de V. R. in acutis. Gal. 3. aphorism. 22. com. ut & quæ ætate: sub hyemem verò & vernum tempus à pituitosis.

XXVI.

Terminatur Angina, nisi strangulatu pereat ager, vel resolutione, vel suppuratione, vel induratione, vel permutatione, sive translatione.

1. Si neq; in diebus judicatorijs dissipetur Erysipelas, neq; tuberculum ad exteriorem sedem se vertat, neque pus per tussim reiciat, facileq; ac sine dolore habere videatur, mortem indicat, aut ruboris reversionem. Commune hoc, & in omnibus Morbis notandum, qui citra manifestam evacuationem remittunt, eos in graviore alios mutari, vel rursus redire, teste Hipp. b. l. in prognost. & in Coacis § 370. proinde suspecta sit illa salus, quæ sine manifestâ evacuatione fieri vel facta videtur.

2. Si per suppurationem, Febris increfcit & dolor, Natura actione suâ, materiam morbificam alterando, si fieri potest, in benigniorem convertit, & quò magis alterat, (quia alteratione illâ, sive concoctione materia portio, ut interdum accidit, simul non absumitur) eò vehementiora symptomata succedunt, donec ad terminum alterationis pervenerit, b. e. materia planè fuerit concocta.

3. Si per indurationem: desinit quidem febris, remanentibus tumore, difficili respiratione & deglutitione.

4. Si per translationem; ad cutem, partem externam ignobilem, contingit optimis cum agri rebus. 6. Aphor. 37. 7. Aph. 49. sin ad pulmones, partes internas nobiles, delirium (propter pulmonum & Cerebri consensum, 4. de Causis puls. 6. 7.) aut Empyema excitat, 5. Aph. 10. nisi ad inferiora de-

scendens abscessibus gignendis occasionem praebeat; quibus erumpentibus, scribente Galen. 2. prorrhbet. Com. 1. partes, quae humores suscipiunt, afficientur, caput verò illa sum permanebit: sin ad Medullam Spinae, imminet convulsiois periculum, Hipp. de diebus judicatorijs.

XXVII.

Angina per judicationem aliorum morborum, à quibus vires fractae, lethalis est: exempli gratia, si post vehementem invadat febrem, periculosa & funesta, 4. aphor. 34. nam talis febris calori innato adversatur, qui liberae respirationis beneficio destituitur, 2. humidum & calidum innatum absumpsit, dissipavit, & ita vires debilitavit, abs quarum tamen robore, in omnibus internis inflammationibus, unicam salutis spem superesse scribit Galen. 10. M. M. 5.

Si in Aginâ per os spuma, ex magnâ & vehementi respirationis difficultate, erumpat, mortem in propinquo adesse praedicendum, nec curatio attentanda, non aliter, ut in Apoplexiâ, alijsq; affectibus repente suffocantibus fieri assolet. 2. aphor. 43.

XXVIII.

Aurea illius Regula, citò, tutò, jucundè, primum, scussiam alibi, hoc certè in affectu primum: & hoc rectissimè quadrat Poeta illud, venienti occurrite morbo. Nulle hic dantur inducia: morbus est ut acutissimus, ita perniciosissimus: quare rumpenda ilicò est mora, & maturandum, quippe in vicis ovis, occasio curationis anima preceps, momentosa, & maximi momenti. Praecipiti itaq; morbo compendiarie debetur cura.

XXIX.

CURATIONIS Methodus absolvitur Indicationibus: quae sumuntur vel à Morbo, vel à Causâ, vel à Viribus.

13
illa dicitur Curatoria; ista Præservatoria; hæc Vitalis. Quæ
libet sua habet Indicantia, sua Indicata.

XXX.

CURATORIÆ Indicans est morbus: gutturis vel
etiam faucium angustia. Indicatam est auxilium dila-
tans, amplificans. Verùm quia ejusmodi Remedium, quod pri-
mo & per se fauces dilatat, in rerum Naturã non invenitur:
neg, si detur, perseverantibus adhuc causis, commodè adhiberi
possit, inutilis hinc erit à Morbo desumpta Indicatio.

XXXI.

PRÆSERVATORIA utilis est, ejus Indicans est Causa,
Inflammatiõ; Indicatam Remedium eandem tollens.

Est autem Inflammatiõ vel facta. vel adhuc in fieri
utraq; propulsanda:

Posterior hæc in fieri, præcavendo, 1. ne nova calido-
rum humorum generetur copia. 2. ne jamdum genita ad par-
tem affectam fluat.

Alteri scopo satisfit partem mandantem exhaurien-
do Evacuantibus: partem recipientem confortando Adstrin-
gentibus: materiam copiosam imminuendo Revellentibus,
derivantibus. Et quidem hoc ordine:

Clystere prius sive suppositorio lenitã & emollitã
alvo, remedium generosissimum, & maximè præsentia-
neum.

Venæsectio, Cephalicæ, aut si plenitudo insignis adsit,
ipsius etiam Medianæ, primò in brachio dextro, si ad neutrum
latus declinet inflammatiõ, deinde sinistro; si verò in uno la-
tere phlegmone constiterit, ex solã venã ipsam respiciente, seu
in affecto latere, non simul, sed repetitis vicibus, adhibenda,
nisi quid impediât, aut contra indicando prohibeat: qualia
sunt,

sunt, Vires debiles. Aetas: tunc vicaria Vena sectionis, Cucurbitula inter scapilio, Cervici & c. applicanda: qua tamen etiam, constantibus viribus, si opus, post vena sectionem administranda, ut & frictiones valide, lotiones calidae, vincula dolorifica in partibus extremis, praesertim supra genua:

Post Phlebotomiam,

Catharticis locus datur, si deglutire potest aeger, vel eodem, vel sequenti phlebotomiam die, docente Hipp. lib. de loc. in homine. Sint autem liquida, & in minima quantitate. Quare Chymica reliquis palmam per facile praeripiunt, quia exigua mole multum obtinent efficacia, quorum non contemnendus numerus cum sit, Medici praesentis iudicio, huius vel illius usum eligere, relinquitur. Si vero per os non admittat, Clysteribus acribus, cum paucis vel nullo oleo, totum hoc negotium erit peragendum, ijs uno quoque die, si necessitas flagitabit, ter quaterve usurpatis.

Interea dum haec sunt, & materia insluit adhuc, fluxionibusque locum affectum molestat, partes internae adstrictoriae vi pollentibus. Gargarismis, vel potius collutionibus, sunt roboranda. Sint tamen ille non ex pure reprimentibus & adstringentibus, uti in aliarum partium inflammationibus ab initio praescribuntur; sed ita resolventibus temperata, ut a principio illorum vis multo sit major: in declinatione vero resolventia adstringentibus dominantur: inque alijs medijs temporibus medio sese habeant modo; observata simul indole peccantis humoris, quae si fuerit biliosa & sanguinea refrigerandum & repellendum magis: si pituitosa, calefaciendum & resolvendum: si melancholica, laxandum & molliendum plus, ostendit, retenta nihil secius ubique, quam monuimus, Medicamentorum mixtura.

Partes

Partes externæ Anodynis demulcendæ, quæ discussoria, non repellentem vim habent, & ad externa humorem, trahere, eumq; concoquere valent; uti sunt Ol. Chamomil. Anethi, lilior. &c. quibus colli partes affecta inungantur. superpositâ lanâ succidâ, vel spongiâ calido oleo imbutâ.

Alterum scopum, ne novi generentur humores, attingimus, removendo causas, non tam efficientes, (neq; enim Temperamentum perverti debet, nec ita citò potest) quam, eas, quas materiam suppeditare humoribus, & eos in corpore detinere supra ex causis patet, hoc est: irritando suppressas Mensum, hemorrhoidum &c. evacuationes: diætâ pleniorẽ subtrahendo, & surrogando, modò ferant vires, exquisitè tenuissimam, sive omnimodam, ad unum atq; alterum diem, abstinentiam; sin minus, tenuissimam, quæ Melicrato, Ptisanâq; cremore actu calidis utitur: quamvis & egri in ita ratione, pulli, aut gallinæ, aut carniũ clarum jusculum primo triduo, & deinde jus consummatum capi, ova sorbilia, & id genus alia, pleniùs nutrientia, hisce in locis securissimè propinentur. Vino, quod supra strangulationem inducere posse diximus, planè abstinendum: reliqua, ad Diætâ pertinentia, vide in Indicatione vitali.

Facta inflammatio aufertur tollendo humores, qui jam influxerunt. Suntq; vel mobiles adhuc & fluctuantes; vel immobiles & impacti.

Hi in partes vicinas possunt averti, tandemq; educi, Derivantibus, phlebotomiâ Hypoglottidum, Venæ frontis, & jugularium in collo externarum, cucurbitulis cum & sine scarificatione colli, cervicis.

Illi immobiles, & firmiter inhaerentes, aut resolvuntur Discutientibus, Eclegmatis aut Gargarismis: aut suppurantur Maturantibus, Emplastris, fomentis, Cataplasmatibus,

C

Sup-

Suppuratum apostema aperiendum Rumpentibus, vel
ope Cbeirurgicâ: apertum & ruptum abstergendum & sa-
nandum.

Ante suppurationem, si summus strangulationis metus
adsit, LARYNGOTOMIAM sunt qui commendant: Gal. lib.
Introduct. c. 13. ejusq. encheiresin docet Paulus c. 33. l. 6. quam-
vis hunc Veterum secandi modum reprehendat & corrigat A-
quapendens, fideliter insuper monens, ut qui secat, sit Anato-
mes peritus, quia sub hoc Medico & artifice omnia tutissimè
peraguntur, quâ in re, cum Hippocrates istius operationis
non meminerit, suam cuiq. relinquimus sententiam.

XXIII.

VITALIS Indicationis Indicans est Virtus seu Vires
Indicatum Alimonia.

Vires sunt facultates non per se, eatenus enim muta-
tionis expertes, sed quatenus in subjecto suo insunt, indicant
triplicis, spirituosæ, carnosæ, solidæq. substantiæ, quâ perfo-
ciuntur & complentur, conservationem.

Conservantur vires similibus: alimentis nimirum, eâ
quantitate, quam substantia conservanda desiderat, exhi-
bitis.

Verùm quia non tantum Indicantia, sed & Prohiben-
tia sunt attendenda: licet Vires expetant restaurationem:
Morbi tamen causa magis urgens repugnat, & sui evacuatio-
nem indicat: quapropter Naturam sibi soli vacare jubet, atq.
ita alimentum, quo Natura à pepasmo ad pepsin advocatur, pro-
hibet. Hæc contra-Indicatio Morbificæ causæ, virium Indi-
cationi longè preferenda: majus enim periculum ex non re-
motâ causâ, quàm ex instauratione virium, ad tempus negle-
ctâ, vel potius suspensâ, metuendum. Quare exquisitissimè
tenuissima huic morbo debetur Diæta. Potus tamen ex
fals

17
Sale prunellæ cum liquore convenienti, aut jusculo soluto
permittitur frequens.

Sin verò vires ita sint debiles, ut aequè valeant indican-
do victum, quàm causa Morbi prohibendo, satis erit, par-
tem aliquam virium instaurare: & hoc, si ager penitus de-
glutire non queat, vel per cannulam, aut aliud machina-
mentum, in ventriculum, jusculo culinaria arte probe para-
to, sensim, ne partem inflamatam irriter, immisso: vel Cly-
steribus nutrientibus, quales componuntur ex jure carni-
um, ptisanâ cum saccharo & vitellis ovorum, ubi Idiosyncrasia,
nec non Consuetudini, haud parum multum erit conce-
dendum.

Ad Diætam pertinent reliqua, quas vocant, Res non
naturales, quæ ita sunt moderande, ut Naturam adjuvent,
vires conservando, morbum propellendo.

Aër cubiculi sit temperatus, vel paulò frigidior, mode-
ratè lucidus, à Solis aut Lune radijs liber tamen.

Vigilare præstat, quàm dormire, & somnolenti de indu-
striâ ab Astantibus excitandi: non verò ad exercitia & motus
revocandi, quibus & ipsa Morbi magnitudo eos supersedere
jubet.

Quies autem imprimis partium superiorum imperanda,
quare Loquela non absq; ratione interdici potest, Risus item &
Gargarizationes vehementiores.

Excretiones debite non retinenda, sed indies, ut respon-
deant, promovenda.

Animi affectus vehementiores non conducere cuius no-
tum.

XXXIII.

MEDICAMENTORUM uberrimam messem apud Pra-
cticos cum metere liceat, supervacaneum erit multa adscribe-

res pauca itaq; hic quasi digito monstrasse satis sit, ad quorum
exemplar, quæ agris pro morbificæ materia diversitate utili-
ter adhiberi possunt, prudens dispiciet Medicus.

Chysma.

R. Herb. Malvæ

Violari.

Mercurial.

Bianc. Ursin. cum Rad. an. M. j.

Flor. Chamomil.

melilot. an. M. s.

Coq. secundum artem. Colaturæ q. s. adde.

El. de succo Rosar.

Benedict. Laxativ. an. drach. vi.

Ol. violar.

Mell. Rosati an. unc. js.

Sal. Gemmæ drach. j.

M. pro Enemate tepidè infundendo.

Chymici Crocum Metallorum infundunt drach. j. vel
drach. is. pondere, in conveniente liquore, vel vino, unc. iiii
vel iiii mensurâ, miscent cum decocto simplicium emollien-
tium ℥. j. minori certe apparatu, sed non minori fructu &
emolumento.

Gargarisma, sive potius Collutio oris repellens.

R. Aq. Plantag.

Prunell. an. lib. s.

Fl. Rosar rubr. pug. j.

Cortic. Granator. drach. s.

bulliant leniter. Colaturæ adde.

Diamori.

Syr. de Granat. dulc. an. unc. j.

M. pro Collutione oris, cui Lapis prunellæ admisceatur, qui
quod huic malo (Prunellæ nomine insignito) *νερό ἐξοχρό*
conveniat, maximo cum levamento ad drach. j. per se etiam
in aq. Rosar. prunell. &c. Gargarismi loco exhibetur à Recen-
tio.

19
tioribus. Sunt qui huic plurimum tribuunt, quod Paracel-
sus tract. de Peste ad Stertzingenses describit.

R. Cáncr. fluviatil. vivos, N. vi. vel viij.

Sedi Majoris M. iij. vel iiij.

contundunt, exprimunt succos, colant. Colaturâ linguam
& fauces fovent.

Linctus in primâ Anginæ specie, quia Gargarismata
non pertingunt ad partem inflammatam, à Foresto loco Secre-
ti singularis habetur, qui

R. Syr. Granator. dulc. unc. ij.

ex infus. Rosar.

Rob. diamori an. unc. s.

Sacch. penidior drach. iij.

Spec. diatrag. frigid. drach. ij.

Amyli pulv. scrup. ij.

M. pro linctu sapè lambendo, præsertim post singulas garga-
rizationes.

Nigerrimam in super lingua cuticulam resolvit, ac tan-
dem secedere facit Corium Lardi, duos digitos aut præ-
terpropter latum, assulatimq; incisum, eâ parte, quâ lardum
est, supraq; linguam aliquandiu retentum, sæpiusq; usurpa-
tum.

Suas item meretur laudes Experimentum sequens, quod
R. sedi majoris contusi in mortario & expressi succi lib. j. salis
Ammoniacy un. s. mistorum, & per alembicum destillatorum:
aquâ, lingua sæpius, calidè vel tepidè, irrigetur vel ablua-
tur.

Cataplasmatis loco Linteum triplicatum butyro, vel
adipe Anserinâ, Gallin. perlitum, calidè collo circumplicant,
singulis tribus horis renovando, nō pauci: quod Rulandus pro-
bat Cent. 8. Cur. 9. Qui volet ex Rad. herbis, fructib. florib. &

C 3

semi-

seminib. coctis, ac per setaceum expressis, cum vel sine oleo,
addito pulv. stercoris canini, Nidi hirundinum, more solito
faciet Cataplasma.

Purgantia, ore sumenda, fiant ex Cassiâ, Syr. rosar. sol.
Mannâ, Senâ, Rhabarb. & alijs, cum aquis convenientibus, ut
dixi, brevissima: quamvis, si febris urgeat, Aquæ benedi-
ctæ, Oxysacchari vomitivi & similium usus iniri possit, ut-
pote quibus inflammatio sæpè subito cedere & apostemata
rumpi visa: Naturâ tamen ipsius agri & viribus probè con-
sideratis.

Gargarismus discutiens concinnetur ex Decocti Jaco.
bæ, (qua teste Penâ mirè confert) passularum, ficuum lib. j.
Mel. rosar. colati. syr. myrtill. an. unc. j. M. utatur sæpè.

Gargarismus maturans fit ex palmulis sive dactylis,
n. iij. ficibus pinguib. concisis. n. v. passul. purgat. unc. j. Li-
quiritie rase unc. s. flor. Chamomil. meliloti an. p. j. sem. Al-
thææ, fanugraci. Citonior. an. unc. j. s. Aq. lib. ij. coq. ad med.
adde pulv. Croci scr. j. mellis rosati unc. j.

Gargarismus rumpens preparatur à Rulando, ex vino
albî, vel aq. fontana lib. ij. Ol. vitrioli gutt. xxx. vel q. s. ut
acidus fiat Gargarismus. Idem commendat Ol. Ligni Hera-
cly, vel ejusdem Confectionem.

XXXIV.

Multò tamen citius gladiolo, si videri possit, aperietur,
vel & ungue digiti immissi, aut panis frustulo duriore, vi
quâdam deglutito: neq; perfectam suppurationem expectare
oportet, tum ob ipsius mali magnitudinem; tum ob loci affecti
teneritudinem, & humiditatem, quâ facile putredinem conci-
pere potest.

Post

Post puris eruptionem deterfioni studebimus, Decocto hordei & passularum, aut Rhodomelle. Et si pure evacuato ulcus putrilaginosum, aut sordidum appareat, valentiùs detergentia, & putredinis augmentum inbibentia sumantur. In quem finem Gargarismus laudatur sequens, qui

- R. Fol. Agrimon.
- pimpinel
- polytrich. an. M. j.
- Rad. Aristol. long. unc. j.
- Ireos el. unc. s.
- Nuc. Cyparissæ contus. N. j.
- Lupinor. contus.
- Myrrhæ an. drach. ij.
- Rosar. rubr.
- Hordeian. p. is.
- Decoq. in Hydromel. f. q. & colaturæ
- adde Syr. de præsio unc. iij.

XXXV.

Occultâ, seu totius substantiæ, & specificâ proprietate, Anginam, reliquosq; Tonsillarum tumores discutunt & dissolvunt rectissimè, præmissis universalibus, Stercus Lupi, Canis, Pueri, & ut hoc minus abominabile sit, jam olim tēpore Galen. istius præparationem quidam docuit, nutriendo puerum aliquandiu solis Lupinis, cum optimo pane, modicum salis & fermentum habente.


Funiculus insuper ex filis lincis paratus, & purpurâ tinctus, colloque vipere injectus, donec præfoctur, si postea in Anginosi collo circumligetur, Uvæ & Gutturis Apostematibus auxilio mirabili medetur, docente Gal. & Avicennâ.


Hirundinum etiam pullorum, cum sale conspersorum


forum, unà cum pennis in fictili obturato combustorum, cinis
intrinsecus, sicuti & eorundem Nidi integri cum luto Em-
plastri formâ extrinsecus, cum equali portione Albi Græci in
aq. ferrariorum cocti, vel & in sartagine cum butyro frixi,
uti & Cochlearum absq. testis ustarum, vel Cancrorum
pariformiter ustorum cinis cum melle exhibetur. Quin &
Cornelio Celso referente, si quis hirundinis pullum quotan-
nis femel edat, toto anno ab Anginâ immunis manebit.
Quæ si in obsequenti egro legitimè in usum ste-
ctantur, non malè sperandum
erit.


SOLI DEO SIT
GLORIA.












T



Post puris eruptionem deterfioni studebimus
borderi & passularum, aut Rhodomelle. Et si pur
ulcus putrilaginosum, aut sordidum appareat, va
tergentia, & putredinis augmentum inibentia
In quem finem Gargarismus laudatur sequens, qu

- R. Fol. Agrimon.
- pimpinell
- polytrich. an. M. j.
- Rad. Aristol. long. unc. j.
- Ireos el. unc. s.
- Nuc. Cyparissæ contus. N. j.
- Lupinor. contus.
- Myrrhæ an. drach. iij.
- Rosar. rubr.
- Hordeian. p. is.
- Decoq. in Hydromel. f. q. & colaturæ
- adde Syr. de pralsio unc. iij.

XXXV.

Occultâ, seu totius substantiæ, & specificâ p
Anginam, reliquosq; Tonsillarum tumores discuti
solvunt rectissimè, præmissis universalibus, Ste
Canis, Pueri, & ut hoc minus abominabile sit, jam
Galen. istius præparationem quidam docuit, nutriti
aliquandiu solis Lupinis, cum optimo pane, modè
fermentum habente.

Funiculus insuper ex filis lineis parat
purâ tinctus, colloque vipera injectus, don
tur, si postea in Anginosi collo circumligetur, U
ris Apostematibus auxilio mirabili medetur, doc
Avicennâ.

Hirundinum etiam pullorum, cum

